

05

A

1818



J.

D.
J.

H.



DECANUS

Collegii Jctorum in Illustri Academia
WITTEBERGENSI,

CASPAR HEINR.
HORN, D.

Pand.P.P. Curiaë Elector. & Scabin.

ASSESSOR,

AD

ORATIONEM SOLENNEM,

Nobilis. & Clarissimi CANDIDATI

DN. HEINR: ERNESTI
SEEBACHII,

Longosal. Thuring.

IN AUDITORIO JCTORUM

Ad D. M DC XGIII.

habendam

Omnes Literarum Patronos & Cultores, eo
quo par est, cultu & studio invitat.



Q. R. B. V.



Non sterilis apud nos est
Themis, sed foecunda mater
nobili prole hanc sedem beat,
& filiis subinde superbit, qui-
bus honorum titulos confer-
ri jus fasq; postulat. Nuper
admodum tres Nobilissimos
Juris Candidatos solenni
scriptione commendavi, &
produxi in publicum: Jam

L. II. ad Ann.
M. DC. XVI.

quartum sisto clarissimum Virum, DN. HEINRICUM ER-
NESTUM SEEBACHIUM, Philosophiae Magistrum, qui
& ipse artis speciminibus, quæ edet, Juris peritiam, quam
nactus egregiam est, omnibus æquis rerum Censoribus ap-
probabit. Ab Oratione solenni autem auspicabitur ope-
ras suas publicas: cujus argumentum elegit tragicum
istum & gravem in domo Reynesia casum, quem illustris-
simus GRAMONDUS dignum habuit, qui Galliae histori-
is intexeretur. Eò vero collimat ejus oratio, ut momentis
undiquaq; solide excussis evincat, haud jure eadem ux-
oris & Paulini Adulteri, nedum Panati, qui consors libidi-
nis habitus est, à Reynesio perperratam: tantumq; abesse,
ut Regio diplomate crudelis facti autor liberandus fuis-
set, ut potius severissimæ subjiciendus coercitioni. Has
ego

ego illius partes, quas sibi sumpsit, nolo involare. Quia ta-
men ex more & instituto Majorum præfari quædam de-
beo, de Sponsione Matrimonii superstite adhuc conjuge
facta pauca quædam in medium afferre mihi est consti-
tutum. Quod ut faciam, scheda illa memovet, quam in
scrinio Paulini post funera inventam dicit Gramondus,
quæve fidem mutuo futuro matrimonio vivente adhuc
Reynesio dederant amantes in hæc verba: *Nos Rapista-
gnus Vice Comes Paulini, & Castelpersia de Panato fidem
mutuo astringimus, matrimonio palam contrahendo, ubi
primum occasio dabitur: & quo plenior sit fides, quo item
obligatio firmitior, consummationem antecedere placet ex pa-
cto. Castelpersia, Rapistagnus. Kalend. Jan. An. M.DC.XVI.*
Res mira dictu, insanas cupiditates adeo excœcasse men-
tem amantium, ut specie nuptiarum sceleri velamentum
quæri sibi potuerint persuadere. Simile ferè facinus Ro-
mæ Claudii ætas tulit, cujus uxor Mesalina super cætera
flagitia & dedecora, cum maritus sacrificii causa Hostiam
proficisceretur, C. Silio nupsit palam dote inter Auspices
consignata: peior Castelpersiâ, quod nomen matrimonii
concupisceret, non ut extingueret crimen, vel ut excusa-
tius peccaret, sed, ceu in Taciti annalibus extat, ob magni-
tudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima est vo-
luptas. Nolunt enim solita peccare, quibus peccandi
præmium infamia est. Ast quicquid tandem in mentem
venerit Paulino adulteræq; suæ, nullo colore juris defen-
di posse improbam illam, ac detestabilem conventionem,
quis adeo hebes invenitur, ut dubitaret? Scilicet dederat
fidem Reyesio Castelpersia, facta erat vitæ omnis con-
sors, atq; coaluerat cum marito in unum corpus: nulla il-
li supererat facultas amores alii consecrandi, qui soli

A z mari-

marito debebantur; nullum jus frangendi sanctissimum
foedus matrimonii; nulla facultas usum corporis, & animi
affectum alii concedendi, antequam lege matrimonii
penitus soluta. Quo jure ergo fidem datam foedissimè
fallere animum subiit? Quo jure novo vinculo se potuit
obstringere? Qua ratione porro Paulinus expetere &
contrectare potuit rem juris alieni, atque violare sacra
tori Reynesiani? Quod si nec exigere, nec promittere li-
cet, quæ non sunt in potestate promittentis, sed legibus
vetita; quod si ideo ulla rei turpis obligatio esse nequit,
id quod nemo, nisi qui sanæ mentis non est, aut quæ im-
plicent, ac se mutuo destruunt, animo simul concipere
potest, temere negabit: nullius sanè momenti turpissima
hæc conventio esse potuit, quæ vesani homines clam ma-
trimonium inierunt, & de eo palam quoque contrahendo,
ubi primum detur occasio, fidem mutuo dedere, parum
soliciti, supersit ne prior maritus, an secus, solutusne sit,
an non veteris conjugii nexus. Illud vero nescio, an ridi-
culum, an impium magis dici mereatur, quod credide-
runt maleferiati, plenior fieri fidem & obligationem
firmiorem, si consummatio antecedit ex pacto. Profecto
graviter peccat, qui illicita promittit, sed bis peccat, qui
præstat. Tantum ergo abest, ut consummatio hæc effica-
cem reddiderit obligationem, quæ præcessit, ut potius fla-
gitium ex novo scelere maximum ceperit incrementum.
Stat scilicet mihi hæc sententia, illicitam naturam esse om-
nem obligationem de matrimonio novo eo tempore
ineundo, quo nondum legitime solutum prius, sive mari-
tus, sive cœlebs cum alterius uxore paciscantur. Quæ in
re neminem forte habebō dissentientem, cum omni hæc
specie promissio rei fiat, quæ cum præstanda, non est in
promissoris potestate. Nec negabit quisquam, reatum non

pa-

parum augeri, si concubitus accedat, atq; consummationi illius, quod pessime est inchoatum, superveniat πολυεθρίας crimen, quam Juri isti, quod recta ratio nos docet, adversari, constans fere omnium sententia est opinioq;. Etsi vero hæc eadem de illa specie, si maritus cum innupta paciscitur, secundum Juris naturæ præcepta sine distinctione nequeunt dici, cum, uti mihi quidem videtur, Polygamiam Naturalibus Legibus, nisi expressum pactum de solitaria cohabitatione ponamus, repugnare solidis rationibus evinci non possit: certius tamen certo est, Divinis præceptis, quæ revelata positivaq; audiunt, idem Jus uxori in corpus mariti, quale hujus in illius esse, eandem sic fidem utrinq; servandam, & sic pari ratione pactioem, de qua nobis quæstio est, inter habentem uxorem & eam, quæ extra matrimonium vivit, esse ex genere illicitorum. Paulo verò difficilior ea videtur quæstio, utrum obligatio nascatur efficax, si, qui conjugem nunc habet, futurum matrimonium spondeat, eum in casum si prius matrimonium fuerit solutum. Placet affirmativa decisio H. Grotio, incomparabili Viro, cui subscribendum esse, si Leges Humanas non respicias, sed Divinas connatas nobis aut revelatas, penitus mihi habeo persuasum. Nullibi enim hac de re invenire mihi contigit prohibitionem; quin potius omnium calculo ea probatur sententia, in obligationem deduci posse, quæ jam non sunt in nostra potestate, esse tamen aliquando possunt. Aliena res hypothecæ vel pignori dari nequit; sed utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit. Fructus futuri in potestate non sunt promissoris: quod si vero quis eos stipulatûs sit, tunc incipit actio, cum per rerum naturam præstari possunt. De tertii hereditate pactum eum in casum initum, si ritè & legiti-

*L. II. de J. B.
& P. c. II X.
§. 8.*

gitime nobis delata fuerit, nihil illiciti in se continet, licet improbum mortis votum, quod cum pacto hoc confundi haud fas est, turpitudine non careat sua. Nam quod Romanum Jus id generis pacta de successione tertii & certi quidem, nec consentientis contra bonos mores dicat, vel de civilibus saltem accipiendum esse, vel de eo, quod ex accidenti fit, plerique agnoscunt ac fatentur. Pari ratione matrimonii fides pure dari nequit durante adhuc alio matrimonio, sed sub conditione promitti potest, si vinculum prius sit sublatum. Quid, quod si maxime verbis expressa conditio hæc non sit, nec liquido de mente paciscentium constet, sitque dubia res, tacite illam inesse & puram stipulationem ex re ipsa dilationem capere, nullus dubitaverim, ut præsumptio delicti excludatur. Vapulat hæc Grotii opinio apud plerosque, illos præsertim, qui eruditum de Jure Belli & Pacis opus commentariis illustrarunt. Esse vanum scilicet atque irritum promissum tale volunt, quoniam materiam promissi non esse putant in jure promittentis. Non licere illi, qui in conjugio vivit, aliam superinducere uxorem, neque ideo de ea ducenda facere sponsonem: cum tota fides connubialis ita præsentis conjugii debeatur, ut ne sub conditione quidem alteri communicari queat. Incertum adhuc esse, an secundi matrimonii promissor conjugii viventi superstes sit futurus: excitare porro id generis promissiones improbas spes, & illicita vota, an famamque fatalem insidiarum. Verum tanti mihi hæc argumenta ponderis non videntur, ut relicto Grotio in illorum partes concedendum mihi esse arbitrer. Namque primo in concessis ea habentur, de quibus tota vertitur lis. Non diffiteor cum ipso Grotio, promissum efficax haud esse, nisi materia sit in potestate promissoris; sed, ut antea fuit evictum, non opus præcise est, ut eo momento, quo sponsio fit, in potestate

*Henniges. ad
d. l.*

state ejus sit, sed satis est, si aliquando esse possit. Quo posito non video, nisi forte insigniter fallor, quæ ratione illatio diversæ sectæ auctorum, justa regulisq; artis conformis dici mereatur. Sicuti autem incertitudo eventus aliis in negotiis nõ impedit conditionalem obligationem; ita nec conjicere possum, cur huic promissioni officere queat. Fac promissorem præcedere mortalitate conjugem, & nullum dubium erit, exspirasse obligationem, quia conditio defecit. Dabo porro, improbam spem atq; illicita vota præcedere, comitari, sequi posse hanc futurarum nuptiarum sponsonem; dabitur tamen & mihi, id ex illorum genere esse, quæ interdum non semper contingere solent. Forte & vota mortis, & spes illicitæ absunt, atq; bona mente is, qui conjugem vehementissime amat, in periculo tñ. vitæ novit constitutam, cum alia, quam tertius ambit, de futuro matrimonio paciscitur, sociã tñ. quæ in præsens gaudet, ulteriq; frui mavult, quã contingere eventum, quo pactio effectũ possit sortiri. Scil. separandũ studiosè pactum à malis, quæ metuuntur. Fateor delinquere, qui mortem expetit conjugis, qui alienas sollicitat nuptias, qui cupit & vehementer cupit alterius potiri uxore, eo superstitite: sicq; peccasse Q Hortensium, quem Catonis filiam Porciam Bibulo nuptam, post ipsam Censoris Uxorem Marciam, ad serendam stirpem petiisse, hancq; obtinuisse à Catone, Strabo, Plutarchus atq; Tertullianus tradunt. Nam quis colores illos risu magis, quam plausu excipiendos probet, quos Hortensius fædo desiderio inducere fategit: *esse scilicet hominum quidem opinione illud novum; natura pulchrum tamen & civile; mulierem in ætatis flore non vacare, vel fœcunditatem extinguere, neq; majore quam necesse esset, progenita sobole onerare, & obruere domum non requirentem: communicationem autem inter probatos viros invicem mulierum tum virtutem prorogare & dilatare stirpibus, tum civitatem mutuis necessitudinibus conglutinare. Quod si retinere Bibulus omnino vellet conjugem, simul atq; peperisset, ubi arctiore communium liberorum esset vinculo cum Bibulo & Catone conglutinatus, restitutum se eam? Non nego porro magis peccare, qui vitæ insidias struit, vel ad illicitos concubitus prorumpit. Verum omnia*
hæc.

hæc cum nostra conventionē nihil comūne habent, sed ex
accidenti accedunt, atq; pactum vetitum aut morali quadā
malitiā conjunctū minime reddunt. Sola a. cogitatio mor-
tis, quæ hic nunquam exulare potest, nō impedit negocium;
nam hoc si foret, nec de futura successione conjugis liceret
convenire, vel bonis verbis adducere ad testandū. Qui mo-
rali doctrina leviter saltem est imbutus, nō ignorare potest;
rem, quam incommoda quædam vel mala, vel abusu comitari
possunt aut solent, haud ideo illicitam statim dicendam esse.
Hæc enim collectio si justa esset, multa sane ex prohibito-
rum genere forent, quæ permissa tamen, imo sume necessaria
apud omnes habentur. Id tamen inde efficitur Legislatori-
am potestatem, quæ & occasionem delinquendi, quantum
fieri potest, præscindere debet, si abusum suspicetur, publicæ
salutis causa modum posse ponere negotio huic, vel plane
tollere illius usum. Stat interim assertum nostrum firmo ta-
lo, sponsionem futuri matrimonii vivente adhuc conjugē
Divinis Legibus nō adversari & omnium maxime Naturali
Juri haud repugnare, si maritus cum innupta paciscatur,
cū isto jure, ceu antea assertum, ducere hanc non sit cri-
men, nisi pactum de solitario consortio ponamus. Asser-
ta ita efficacia obligationis, nullum dubium erit, conjugē vi-
ta defuncto adversus illum, qui jam viduus est, vel quæ vacat,
jure agi posse, ut existente conditione stet promissis &
impleat pacti fidem. Atque hanc, quam defendi, sententiam
eo quoque casu locum invenire arbitror, si maxime amplexus
accesserint adulterini. Equidem Romana Jura inter adulte-
rum atq; adulteram, quibus tamen maritum cum innupta
convalescentem haud accensent, prohibent matrimonium:
Vetant & Canones atq; Pontificum decreta, quamvis pœni-
tentia peracta permittant, iis saltem casibus, si machinatio
mortis vel promissio facta non fuerit futuri matrimonii. Sed
omnem hanc prohibitionem intra humanas Leges se conti-
nere, nec ad Naturæ pertinere, vel morale Jus cum Theolo-
gorum & Juristarum plerisque opinamur. Illud tamen facile
largior, promissionem futuri matrimonii, si diserte ob adulte-
rium perpetrandum, vel ob eandem conjugis faciendam fiat,
ob

ob tu
que
mine
bet.
ob p
neut
nian
nii in
auda
qui c
nem
se. H
Civi
um e
attin
ro, si
Etun
post
conf
& ne
nun
susce
stri.
fertil
Diu
ex qu
mum
um &
Adm
loco
batur
stato
super
CHR
DOE
Quæ
fere l

ob turpem hancce causam natura semper esse invalidam, at-
que vitiosam. In hac enim re non facio cum Grotio, qui cri- *d. l. § 9.*
mine perpetrato vim obligationis exseri persuasum sibi ha-
bet. Sed si ita paciscentes volentes postea ineant nuptias, has
ob pactum illud solum irritas esse, nisi Lex humana efficiat,
ne utiqvam mihi videtur. Quod si autem de Jure nostro Justi-
niano sollicitus sis, atq; num promissio hæc futuri matrimo-
nii in casum, si prius solutum licita, atqve efficax sit quæras:
audacter respondeo, nullum locum oculos nostros subiisse,
qui contrarietur. Nam quod de pactis circa futuram successio-
nem habet, nõ puto commoda interpretatione huc trahi pos-
se. Hæret ergo animo sententia, non improbari hæc pacta Jure *c. f. X. de eo*
Civili, nisi aliunde impedimentum nascatur, quale adulteri- *qui duxit*
um esse, jam antea fuit indicatum. Ad Canonicum Jus quod *uxor.*
attinet, non indulgere illud id generis Sponsalia sive de futu- *quam poll.*
ro, sive de præsentia inita, indicio est, quod ceu ob grave deli- *adult.*
ctum pœnitentiam injungat: tolerat tamen matrimonium
post conjugis mortem inicum, si modo adulterii, & quidem
consummati non arguantur contrahentes. Sed satis hac de re,
& nescio, an nimium pro instituto dictum. Aggrediamur
nunc id, quod caput est, cujusq; potissimum causa opera hæc
suscepta, nimirum historiam vitæ Clarissimi Candidati no-
stri. Natale solum Salza contigit, nobile municipium in
fertilissimis campis Thuringiæ, quos Unstruta alluit, situm.
Diu est, quod fovit hæc civitas claram SEEBACHIORUM gentem,
ex quâ sanguinem noster duxit, & Patrem habuit *Excellentisfi-*
simum VIRUM, GABRIELEM SEEBACHIUM, Jctum egregi-
um & à Reverendissimo Archi-Episcopatus Magdeburgensis
Administratore quondam, *D. AUGUSTO,* Saxoniz Duce, eo
loco habitum, ut inter illos cooptaret, quorum consiliis ute-
batur. Sed orbatus est hoc optimo Parente, & rerum suarum
statore, jam anno hujus seculi LXXIX. Matrem vero adhuc
superstitem habet præstantissimam Matronam ANNAM
CHRISTINAM ex antiqua & celebri apud municipes suos
DOERINGIORUM prosapia oriundam, & ZACHARIÆ
Quæstoris Longosalzensis, Viri Amplissimi filiam, cujus omnes
fere spes in hoc filio sitæ, quas virtute ejus tutari se posse, fir-
B mi-

miter illa sibi habet persuasum. His Parentibus natus est An.
M. DC. LXIII. XI. Cal. Nov. quorum prima cura fuit, ut pieta-
tem gravissimum & sanctissimum illud nomen conciliarent
filio, omnium virtutum fundamentum. Puer adhuc cum bo-
nam indolem præ se ferret, fidissimis Informatoribus datus
est, ut Græcis & Latinis literis, aliisque liberalibus artibus im-
bueretur. Quas cum mirâ ingenii felicitate perdisceret, & alia-
rum disciplinarum avidus esset, ad Hallensium Gymnasium
propter copiam optimorum Magistrorum fuit ablegatus. In
quo loco triennium consumpsit, & ita quidem, ut haud pœni-
teat temporis hujus, sed jucunda ejus recordatio subinde ani-
mum incedat. Quia vero constituerat ad imaginem Majo-
rum, quos non inglorios habuit, se componere, & sapere ali-
quando supra Vulgus, noluit cruda studia, quod plerique faci-
unt hodie, propellere in Academias, sed id propositum sibi
habuit, ut humaniorum artium & Philosophiæ præceptis pro-
bè instructus accederet ad altiora. Igitur Wratislaviam,
splendidissimam illam Silesiæ Metropolim, profectus est: ubi
cum nihil propemodum nisi eruditum & cultum videret no-
ster Candidatus; quid mirum, si & ipse animam doctrina & stu-
diis excoluit, & omni Philosophia eruditus triennio in Gy-
mnasio ELISABETHANO exacto iterum discessit? Quam rem nõ
parum juvit Præceptorum dexteritas, quos optimos habuit,
beatum ELIAM THOMÆ, & qui adhuc supersunt, Clarissimos Vi-
tos, MARTINUM HANCKIUM & CHRISTIANUM GRYPHIUM, quo-
rum utriusque elegantiores literas multa atque magna debere, me-
ritò opinamur. Jam vero tempus illud adventasse ipsi videba-
tur, quo ad majora animus intendi debebat; atque hac de causa
Francofurtum ad eundem amnem, quia Wratislavia, extru-
ctum, tanquam ad præclarissimam eruditionis mercaturam
concessit. Et quia jam omnibus subsidiis instructus erat, quæ
vastissima æque bonique ars exigit, hanc sine mora aggressus,
magnoque studio in eo versatus, & trium annorum spatio non
vulgarem scientiam est consecutus. Pependit vero sedulo à
facundissimo ore Illustris STRYKII, Summi Jcti, radiis suis eo
tempore inclytam Viadrinam illustrantis. Ac præter hæc in
Scholis Celeberrimi Jcti PETRI SCHULZII, frequens auditor
fuit,

fuit, quorum præceptis ac traditis D. SONNEMANNI acroas-
ses quoque jungere fuit visum. Magnum profectò ad erudi-
tionem momentum confert, si fortuna dat, ut in egregios quis
incidat Præceptores; sed ne putet omne ibi esse positum.
Quod si enim ingenium, quod si industriam non afferat, illi,
quibus se formandum tradit, operam & oleum perdunt, nec
Doctorum scientia, eruditio & fama eruditos discipulos effi-
cere potest. Quàm multos videmus quotidie, qui sibi ipsi frau-
di sunt, & cum una alterave hora docenti aures, vel præsen-
tiam saltem commodant, sapientia & eruditione ipsis insciis
pectus compleri putant, licet strenue interim ignavia vel lu-
dicris rebus dent operam; atque sic inertes demum & omnium
rerum ignari, tempore & sumptibus perditis, redeunt domum.
Ad hunc censum tantum abest, ut referendus sit noster, ut po-
tius ingenio, quod benigna mater natura dederat, indefessam
junxerit diligentiam, atque id, quod felix fatum in optimis Præ-
ceptoribus largiebatur, prudentissimè in suum verterit u-
sum. Passus sic est laborum gradus fieri, & postquam in Scho-
lis exegit spatia, in publicum procedere decrevit. Atque cum
avunculum haberet *Consultissimum* D. ZACHARIAM
DOERINGIUM, Consulem & Syndicum Torgaviensem, Vi-
rum in hisce rebus versatissimum, hunc ducem sibi elegit, ex
quo jus ad facta applicare disceret, & legitimo modo ambigua
dirimere causarum fata. Hoc authore igitur postulare in foro
cepit, ac tum in Præfectura, tum in Curia Torgaviensi, tum
etiam in aliis viciniaz judiciis varias egit causas, & meruit ap-
plausum. Sed quia optimè intelligebat, quantum intersit eji,
cui jus, quo Civitas utitur, cognoscere plene atque plane cupi-
do est, si summa tribunalia accedere licet: Dresdam se contu-
lit, atque propositum, quod intendit, affecutus est abunde. Tra-
xit vero postea dulcedo Academicæ vitæ Candidatum no-
strum in hunc locum: ad quem cum venisset, Antecessores ce-
leberrimos est sectatus, & cum post multos in curriculo stu-
diorum exantlatos labores fiduciam sine cortice, quod ajunt,
natandi haberet, petiit à Collegio nostro, ut facultas sibi esset,
aliis tradendi, quæ à Doctoribus ipse accepit. Nos nunquam
de-

desumus honestis hominum desideriis, sed juvamus conatus eorum, qui ad magna tendunt, & utiles se Reipublicæ cives reddere modis omnibus conantur. Habita ergo Disputatione publica de Jure Liberorum in parentum viventium bonis, sub Magnifici Viri D. GODOFREDI STRAUSSII, Consilarii ELECTORIS SAXONICI, & ANHALTINI, quem ORDINARIUM Collegii nostri Potentissimus PRINCEPS ELECTOR non ita pridem auspiciatò voluit, & probatâ nobis suâ eruditione, potestas illi data intra privatos parietes jus docendi. Qua in re non caruit successu consilium: multis enim probavit operam suam, qui illius usi sunt institutione. Ad hæc inclytus Philosophorum Ordo lauream præbuit Candidato nostro, atq; in superiorem Cathedram deduxit eum, ex qua varias, easq; elegantissimas sententias masculè propugnavit. In certaminibus Juridicis sæpius vidimus eum à partibus oppugnantium, quas strenue explevit: audivimus etiam aliquoties dicentem, & eleganter, diserte, copioseq; facientem verba. Cum itaq; sub primordiis hujus anni à nobis, ut inter Candidatos Juris referretur, modestè petiisset, iniquum sane fuisset ad honores ipsi denegare. Jam dum ex Instituto Majorum scrutati sumus ejus vires, quas non exiguas esse compertum est, fuitq; communibus omnium suffragiis decretum, editionem reliquorum speciminum, quæ Candidum nostrum decent, esse indulgendam. Crastini diei Hora IX. Deo propitio his operis initium præbebit, ubi Candidatus noster solenni oratione argumentum, quod occupavit, exequetur studiosè. Quem audire benevole ut non grave sit Magnifico DN. RECTORI, Per Illustribus & Generosissimis Dominis BARONIBUS, Patribus conscriptis, atq; omnibus, quibus hæc studia cordi sunt, majorem in modum, & eo, quo decet cultu ac studio, rogo atq; contendo. A meridie hora IV. interpretabitur L. X. C. de Episc. & Clericis, quam rem ut Nobilissimi Commilitones præsentia juvare velint, est, quod itidem maximò precor. P. P. Dom. Quasimodo geniti M DC XCIII.

us
es
o-
b
E-
e-
m
lli
nit
vi
m
m
as
is
ue
er,
tis
o-
ofi
us
i-
e-
m.
e-
n,
le
&
q;
n,
ie
m
at,

05 A 1818

ULB Halle 3
003 787 46X


5b

Worm







DECANUS
Collegii Jctorum in Illustri Academia
WITTEBERGENSI,
**CASPAR HEINR.
HORN, D.**
Pand.P.P. Curiaë Elector. & Scabin.
ASSESSOR,
AD
ORATIONEM SOLENNEM,
Nobilis. & Clarissimi CANDIDATI
**DN. HEINR: ERNESTI
SEEBACHII,**
Longosal. Thuring.
IN AUDITORIO JCTORUM
Ad D. M DC XGIII.
habendam
Omnes Literarum Patronos & Cultores, eo
quo par est, cultu & studio invitatur.